

De  
164







54

SOLENNIA ACADEMICA  
OB ORATIONEM INAUGURALEM  
VIRI CELEBERRIMI  
SEBASTIAN. JOANN. LVDOV.  
DOERING  
PRORECTORIS MAGNIFICI  
KAL. NOV. II. X. MAT. IN AUDITORIO MAJORE  
HABENDAM  
NOMINE  
SENATUS ACADEMICI  
INDICIT  
GEORG. GUIL. LORSBACH, EX-PRORECTOR.

---

Praemittitur Commentationis de Cod. Arabico Fuldenfi P. I.

---

HERBORNAE,  
TYPIS KRIEGERIANIS MDCCLXXIV.



**I**nter singularia conversionis rerum in permagna Europae parte, quam nosmetipsi proximis annis stupuimus, nec tulla, nisi praeteritorum temporum incuriosa, aetas admirari unquam desinet, quamque veram *παλιγγενεσίαν* esse jubeat Deus O. M. hoc quoque locum, neque sane ultimum occupat, quod ingens veteris aevi monimentorum numerus vel pristinas sedes, vel antiquos possesores mutare coactus fuit. Sic variam et copiosam literarum supellectilem undecunque in Galliam, Britanniam, Russiam etc. transvectam, sic magnas insigneisque bibliothecas in Germania, novis dominis cessisse, omnibus abunde notum est atque compertum. Plurima itaque, quae tenebris abstrusa et obliuione quasi sepulta latuerant hactenus, fore, ut post hac in claram lucem proferantur, multumque inde fructus

2

et utilitatis iu omne doctrinarum genus derivetur aliquando, spes effulget certissima. —

Quae quidem non ideo, vt omnes et singuli, quorum curae et custodiae veterum literarum monumenta, quae nunc ad alios possestores transierunt, commissa fuerant, culpentur, dicta putetis, Lectores benevoli: quis enim aequus justusque judex multis illorum laudem denegare suam audeat? Sed quoniam ea fere inter nos homines ratio, is mos plerumque obtinet, ut, quae a multis retro annis oculis usurpaverimus, manibusve triverimus, sensim evilescere et verum pretium amittere videantur, at è contrario novitas ipsa nos mirifice moveat, alliciat, delectet, — facillime in spem et exspectationem paulo ante memoratam, viros scilicet eruditos mox ea, quae nova in sua cuique arte obtigerint *equalia* et veluti spolia, certatim et diligentissime perscrutaturos et ad communem literaturae usum adhibituros esse, nos adduci patimur. — Sed relictis remotioribus, quae huc spectant, his, quae propinqua et nostra quasi vocare licuerit, (quanquam minora fint) abhinc immoremnr.

De regionibus, quae inde a biennio SERENISSIMIS NASOVIAE PRINCIPIBUS (volentibus ita fatis) attributae sunt,



non una exstat bibliotheca, bonis rarisque libris dives et superba, ut Fuldensis, Corbejensis, Weingartensis, quorum aliquos (si Deus faverit) ea, qua pars est, diligentia describere, atque descriptiones ejusmodi, praebita occasione, foras dare constituimus — cuius rei id, quod sequitur, primum specimen esto !

Quum ex amico, mei studiosissimo, ante annum fere accepissem, Fuldae una cum aliis *κερμάτιοις* duos quoque Codices medici argumenti, Arabica alterum, alterum Hebraica manu conscriptum exstare, confestim mihi ingens cupiditas utrumque perlustrandi injecta est. Quanquam enim inter plerosque eruditos satis superque constat, artem salutarem eodem tempore, quo apud reliquas fere gentes neglecta jacebat, ab Arabibus pariter ac Judaeis maximo studio excultam fuisse; non tamen omnia, quae ad hanc memoriae eruditiae partem pertinent, ita ad liquidum, ut nihil desiderandum supersit, perducta sunt. Dabunt itaque haud aegre, quicunque his plenius cognoscendis operam derint, varia adhuc, ut historia medica utriusque gentis, Judaicae praesertim, tanta, quantam rei dignitas poscit, luce collustretur, accuratius esse disquirenda. Causa in promtu: interpretes enim plerique omnes, qui olim Arabum Hebraeorumve libros medicos latine exprimere sunt

4

conati, quod nec sermonis orientalis, nec Romani satis es-  
tent periti, rem suam adeo male peregerunt, ut saepissi-  
me, quid dicere voluerint, haud percipias, et insulfissimas  
planeque barbaras auctorum non *versiones*, sed (ut verbis  
Casiri utar) *perversiones* exhorrescas: iidem praeterea,  
quod, vitio seculi, follertia et dexteritate inutilia ab utilibus,  
recta a pravis fecernendi parum valerent, lectoribus  
intolerabile plerumque creant fastidium. Quibus rationibus  
motus, quum utrumque Codicem a Viro Pl. Rev. P. Boeh-  
mio, dictae bibliothecae praefecto meritissimo, expetiissem,  
neque, quae ejus est humanitas, repulsam tulissem, hoc  
mihi muneris a casu felici injunctum erediti, ut, quid ad  
amplificandam rem literariam inde depromi et tum in pu-  
blicum proferri posset, dispicerem.

Codex igitur Arabicus (nam de Hebraeo alio forte lo-  
co et tempore dicetur) literis, quas Neschicas vocant, (si  
pauca Persica inter lineas et in margine notata excipias)  
anno Hegirae 1045. (Chr. 1635.) in charta orientali scrip-  
tus, foliis 285. formae quaternariae Sedideddini Cazerunen-  
sis *Commentarium in Alaeddini Epitomen Canonis Avicennae*,  
non tamen integrum et perfectum, sed mutilum et aliquot  
lacunis foedatum, continet, quarum ea, quae post pri-  
mum statim libri folium in ipsa praefatione comparent,



mihi maxime fuit molesta. \*) Ne ergo simili, quo Codex Fuldensis, defectu, ejusdem, quam meditabar, descriptio laboraret, aliorum eruditorum auxilia circumspicere coepi, et quin plura libri exemplaria Lutetiae Parisiorum et Lugduni Batavorum adesse mihi constaret, \*\*) utroque Viros clarissimos literarumque orientis peritisimos, illuc quidem Perillustrem A. I. Silvestrum de Saçy, linguae Arabicae profesorem et societatis literariae Francicae praesidem, et hic Pl. Rev. Sebald. Fulc. Ravius, theologiae et linguarum orientalium doctorem, quorum alter multis magnisque in me benevolentissime collatis officiis mihi jam optime cognitus erat, alter vero, quod Venerandus ejus parens, theologus Trajectinorum celeberrimus, in ea, ubi commoror, urbe vivendi sortem adeptus est, meus quasi popularis censeri poterat, — literis adii, quibus eos, ut Codices suos Sedideddini excuterent, mihiique, quae reperissent, benigne referrent, modeste et enixe rogavi. Annuerunt (quod aeternum mente gratisima recolam) viri summi et humanissimi votis meis, suoque favore coeptis libentissime aspirarunt. Sed propius ad rem accedamus.

\*) Emtus fuit Kahira a. Chr. 1774. a F. Arsenio Rehm, ordinis S. Francisci monacho, Fuldensi.

\*\*) Huc pertinent Codd. n. 1004, 1005, et 1006. bibliothecae vet. Parif., n. 210, 6<sup>o</sup> biblioth. San — Germanensis, Cod. Warnerianus 820.

Liber, qui describendus est, interdum breviore hoc  
titulo: *Scharh Sedidi* \*) i. e. Commentarius Sedidicus, in-  
terdum vero longiore: \*\*) *Almogni si scharh almudschaz*  
i. e. sufficiens s. absolutus in Epitomen Commentarius —  
praenotatur, dividiturque in quatuor partes (Fonun):  
harum prima disseritur de rebus medicorum naturalibus  
et non -- naturalibus; secunda de alimentis et medica-  
mentis, cum simplicibus, tum compositis; tertia de mor-  
bis singularum corporis partium, a capite ad calcem, illo-  
rumque causis, signis et remediis; quarta denique (quae  
in Cod. Fuldense desideratur) de morbis totum corpus  
invadentibus, ut febribus, peste etc. eorumque crisi et cu-  
ra, nec non de luxationibus, fracturis, venenis, antido-  
tis etc. \*\*\*)

Ceterum in recensendo hoc Codice hic ordo servabitur, ut primo de auctoribus Commentarii, Epitomes et Canonis, deinde de scriptoribus, qui in illo citantur, paucis agatur, hisque praemissis varia ex ipso, unde, quid

## شرح سلیمانی (\*)

## البغدادي في شرح لام وجز (\*\*)

\*) conf. Cl. Uri Catalog. biblioth. Bodleyanae p. 153, 154, 156, 159, 144,  
146, 147.

pretii eidem statuendum sit, cuivis harum rerum aestimatori justo appareat, excerptantur.

Auctor Commentarii est Medicus, quem suos apud populares non ignobilem fuisse, ex eo conjectari licebit, quod libri hujus exemplaria multis in locis, v. c. Parisiis, Lugduni, Oxonii, Fuldae, alibi — prostant. Natus is vel commoratus Cazeruni, quae urbs non infima Persidis (Farsistanae) est, et nomine s. potius titulo honorifico *Sedidreddini* h. e. orthodoxi insignis fuit. Quo vero nomine proprio quove praenomine usus fuerit, quo tempore vixerit, et quae praeterea huc pertinent, ea aliis disquirenda relinquamus. Videant hi, an quem Herbelotus in biblioth. orient. voc. *Cazeroun* memorat, *Seddiki*, quemque circa annum Heg. 940. (Chr. 1533 — 4.) obiisse tradit, hue forte referendus sit.

Quem autem in finem Sedidreddinus Commentarium suum elaborarit, his verbis, quibus praefatio in Codd. Paris. concluditur, edocemur: „Quum, ait, Epitome, „quam medicus excellentissimus, Alaëddinus Abulhasan „Ali Ben Abi'lhazam Alkorefchi, nomine Ebn Annaüs quo- „que notus, edidit, mihi instar regulae et normae eorum, „qui artem medicam discunt docentve semper visa sit, alia

„illius loca notis illustrare, alia amplificare et ex libris,  
 „quorum in hanc rem usus est, adaugere, consultum esse  
 „duxii. etc. etc.“

Quo pauciora haec sunt, quae de Commentatore nostro afferri potuere, eo plura et pleniora de Alaëddino, auctore Epitomes nunc afferre juvabit. Debemus hoc Cl. Silvestr. de Sacy, qui à me de hoc Medico, quem historiae literariae scriptores typis editi nimis obiter memoraverant, interrogatus, larga et benigna manu, quae in libris Arabicis bibliothecae, copia Mstorum omnibus aliis longe antecedentibus, Parisinae sc. multum quaerendo investigasset, mihi suppeditavit. Apponemus ergo hic loca auctorum latine versa. \*)

Primum quidem exhibet Dschemaleddinus Abulmohafen Jusof Ebn Tagri Bardi, historicus, qui anno Heg. 861. (Chr. 1456.) vixit, haec scribens: „Mense undecimo anni Heg.

\*) Quae Cl. Sprengelius in opere praestantisimo: *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneykunde* T. II. p. 401. edit. 2. de nostro habet: „In diesem Jahrhunderte (i. e. sec. Christ. 10.) lebte Alaëddin Ali Ebn Abi'l Haram Alkarschi, von welchem noch medicinische Werke in Handschriften übrig sind“ — ex his, quae mox dabuntur, emendanda sunt.

Heg. 687. \*) obiit Kahirae, Scheichus s. Dominus Alaëdin Ali Ebn Abi'Hzam, Koreischita Damascenus, qui etiam Ebn Annafis (i. e. Nafiseddini filius) appellatur, medicus egregius, nulli suo tempore in theoria et praxi secundus. Is, praceptoribus usus Mohaddeboddino Dachwaro, — \*\*) multorum librorum perquam utilium, ut Schameli, Mudschazi s. Epitomes Canonis, Commentarii in Avicennam, et de oculorum cura — auctor est. “

Alterum dat Abdarrahman Ebn Mohammed Assointi, historiographus Aegyptius, qui a. Heg. 911. (Chr. 1505 — 6.) vivere desit, his nempe verbis: „Ebn Annafis Alaëdin etc. antistes medicorum aegyptiacorum variorumque librorum auctor, qui omnibus suae artis profesoribus, quo vixit seculo, gloria praestitit, neminemque sui similem post se reliquit, vir sagax et foller; juris prudentiae idem, theologiae, traditionum sacrarum, linguae arabicae et logicae peritissimus — obiit octogenario proximus mente penultimo anni 687.“

\*) i. e. Nov. vel Dec. a. Chr. 1288.

\*\*) Medicus hic Damascenus denatus est a. Heg. 650 (Chr. 1252 — 3.) vid. Bar Hebraei chron. syr. p. 495.

Ad eundem annum Ahmedes Makrizius, scriptor sec.  
Christ. 14 et 15- non incelebris, obitum Alaëddini com-  
memorat. Atque haec de hujus viri vita jam sufficient. —  
De ejusdem porro libro: *Epitome Canonis* — copiose  
egit literaturae anatolicae promus condus diligentissimus,  
Mustafa Ben Abdallah, Hadschi Chalifa s. Chalfa, Con-  
stantinopolitanus, qui circa medium sec. post Chr. nat. 17.  
multa scriptorum arabicorum, persicorum et turcicorum  
millia ingenti opere recensuit. Unde excerpta manu ami-  
cissima Cl. de Sacy, antea allatis subjungemus.

„Mudschaz alkanun fittebb i. e. Epitome Canonis me-  
dicinae, liber viri eruditissimi Alaeddini etc. etc., qui a.  
Heg. 682. \*) obiit, dividitur in quatuor partes, multum-  
que celebratur, quod vel inde pateat, quod plurimi suam  
in eo vel illustrando vel vertendo operam collocarunt.  
Ex eorum numero est Dschemaleddinus Mohammed Ben  
Mohammed Asferabi, \*\*) cuius Commentarius inscribitur

\*) Legendum 687. vid. supra, et Herbelot vv. Canun fil thebb.

\*\*) Leg. Aksarani. Nomen habet ab Aksarai s. Aspropoli, Caramaniae s. Cili-  
ciae urbe, ubi obiisse dicitur a. H. 800. (1397.) v. Casiri biblioth. Escu-  
rial. T. I. p. 274. Uri biblioth. Bodley. p. 157.

Hall almudschaz i. e. Epitomes analysis, et Borhaneddinus Nafis Ebn Awadh Alcarmani, qui in fine Commentarii, quem Nafisianum nominant, se hunc initio ultimi mensis a. 841. [i. e. Majo 1437.] Samarkandae absolvisse prodit, postquam, in Carmania \*) adhuc degens, multa jam Mudschazi loca scholiis marginalibus illustrasset. Scholia quoque edidit Fereseddin Ahmed Ebn Ibrahim, medicus Soweidenfis, qui a. 690. (1291.) obiit. Porro Schebahedin Mohammed Abdschi vel Idschi, Baalbecanus, in Epitomen commentando, bene de eadem meruit, et quidem, ut ipse refert, jusfu Sultani Schah Mahmud. Commentariis accensendi etiam sunt is, quem Sedideddinus Cazerunensis confecit, et qui Mahmudo Ben Ahmedis Amschatii (archiatro a. 810 [1407 — 8.] denato) debetur; estque hic praestans, amplius, duorum quippe voluminum, et titulo *Almondschaz* i. e. Promtuarii — insignitus. Epitome quoque bis turcice reddita est, a Mosleheddino scil. Schaban Soruri (denat. a. Heg. 969. Chr. 1561 — 2.) et ab Ahmede Ben Camaleddini, medico nosodochii Adrianopolitani, atque ab hoc quidem in usum Soleimani Pachae, ex Veziris Sultani Soleimani [qui a. H. 974. Chr. 1567. obiit].

\*) Carmania s. Kirman, Persiae provincia.

Exstat denique Commentarius, Almogni dictus, qui sic incepit: „Laus sit Deo, qui potentia sua substantias intelligentes procreavit etc. etc.“ Hucusque Hadschi Chalifa; qui vero in eo falsus est, quod Commentarium *Almogni* diversum putat a *Sedidico*. \*)

De conditore Canonis medici, ab Alaëdino in compendium redacti, qui vero nomine Abu Ali Hosein Ebn Abdallah Ebn Sina, et latinis corrupte *Avicenna* vocatur, quoniam omnes historiae literariae libri ejus fama plenifunt, silere praestabit, quam parum dicere.

Addam potius nunc indicem auctorum, ex quibus sua haufere vel Sedideddinus, vel ii, quos consuluerat, atque

\*) Monait me hoc Cl. de Sacy: „Vous voyez, inquiens, que Hadji Khalfa a cru que le Mogni étoit un Commentaire différent de celui de Sedid Cazeroni. Cette même faute se trouve dans un Ms. qui appartient à la bibliothèque nationale de l'arsenal, et qui renferme un catalogue des livres de la Djami alazhar au Caire. L'auteur de ce catalogue à l'occasion du Moudjaz dit: *Scharh assafadi alcazerouni*, et plus loin: *Scharh almoudjaz almosanima bilmogni*. Sans doute il n'avoit vu ni l'un ni l'autre des Commentaires, qu'il désignoit ainsi et qui ne sont réellement qu'un seul et même ouvrage. Je crois que Hadji khalfa s'est beaucoup servi de ce catalogue, et en a fait la base de son dictionnaire bibliographique; il en a même emprunté le titre en le changeant tant soit peu.“

plerisque notitiam brevem, reliquis uberiorem ex probatis scriptoribus annexam. Sunt autem qui sequuntur.

*Abdallah Ebn Albeitar*, vulgo Abenbitar s. Beitarides, Hispanus, maxima, qua excelluisse dicitur, historiae naturalis peritia, seculo post Christum natum 13. clarus. De ejus vita narrationem brevem, quam ex Abulfedae, Sultani Hamateni annalibus Moslemicis petitam in bibliotheca Arabico-Hispana Escorialensi, (T. I. p. 276. sqq.) opere in Germania rarissimo, arabice et latine edidit Cl. Casiri, cum ipsa in illorum editione Hafniensi non legatur hic inferi et paucis notulis vel illustrari, vel emendari, non abs re fore crediderim. Sic igitur Abulfeda: „Abdalla, ait, Ben Ahmad Dhiaeldin, cognomento Ebn Albaithar, Hispanus Malacitanus, (a) philosophus et medicus insignis fuit; tanta vero rei herbariae peritia instrutus, ut praestantissima haec ars in ipso uno consummata esse videretur. Hinc eo perfectionis devenit, ut non solum genuina quaeque vegetabilium nomina et natalia sola

(a) Schulterius in supplementis biblioth. orient. Herbelotii sic: „Dhya-oddin, ait, Abou Mohammed Abdallah, Ibn Baithar, Ibn Abdallah, Ibn Ahmed, natus in vico Benanah, prope Malacam.“

apprimie calluerit, eorumque naturas ac vires penitus introspexerit; sed etiam, ut auctor est ejus discipulus *Ben Abi Saiba*, (b) ad singula quaesita sibi proposita, Dioscoridis et Galeni textum una cum herbarum plantarumve nominibus, designato etiam folii numero, in promptu haberet. In suis allegationibus ita fide dignus semper existimatus, ut eum omnes tanquam oraculum consulerent ac summa veneratione prosequerentur. Exemplo Plinii (c) aliorumque philosophorum, ad perfectam herbarum plantarumque cognitionem sibi comparandam, Graeciam, (d) orientales et occidentales plagas (e) diuturnis itineribus peragravit, ubi viros peritisimos avide consulebat: vir sane ingenii vi et acumine nulli secundus. Cunctis academi-

(b) Scribendum *Osaibia*. Innuitur enim medicus celebris *Ben Abu Osebia*, qui vitas medicorum peculiari libro narravit, in cuius capite 14. de Beitaride, suo in botanicis praceptor, egit. v. Reiskii dissertationem inaugurem p. 41 — 56. edit. Halensis.

(c) In arabicis legitur *Belinus*. Non insolens est orientalibus, ubi nomen *Apollonii Tyanei*, famosi sec. 1. thaumaturgi ponendum fuisse, nomen illud, quod magnum historiae naturalis conditorem Plinium, indicare videatur, ponere. v. Cl. de Sacy in libro: Notices et extraits des MSS. de la bibliothèque nationale T. IV. p. 107. seq. id quoque hic quoque loci, nisi me omnia fallunt, factum.

(d) Arab. *Belad alagarekati* — quae num recte legerit verteritque *Cafiri*, dicere non habeo.

(e) Arab. *waakfa belad arrum* i. e. remotissimas Asiae minoris regiones.

arum suffragiis Aegypti renunciatus est Archiater. (f) Deinde apud Malecum Alcamel, Damasci tunc temporis regem, summis honoribus exceptus, ad Viziri dignitatem evehitur: (g) qua in urbe tandem decesit anno Egirae 646. (h) varia et egregia ingenii sui monumenta relinquens, — in iis opus *de mira rerum creatarum virtute ac de usu medicamentorum ad curandos corporis morbos*; ut et celeberrimum illud *de medicamentis simplicibus*, quo quidem opere nullum aliud vel utilius, vel accuratius unquam prodit. “ Haec Abulfeda. Opus ultimo loco memoratum, a

(f) In arab. est: praefectus medicorum et herbariorum.

(g) Hic aliquid humani pasus esse videtur interpres. Sultanus enim Malec Camel, magni Saladini ex fratre Adelo nepos, qui ab a. H. 615. usque ad obitum a. 635. (a. Chr. 1213 — 38.) Aegyptum, et ultimo vitae tempore Damascum quoque Syriaeque partem rexit, defuncto, quem ex hereditate patris quasi relictum accepérat, Véziro Safioddino, neminem hoc insigni titulo decorandum censuit. v. Abulfed. T. IV.p. 451. — In arab. legitur *Mokaddam*, vox sensu latisimo *praefectum quemcunque significans*; quidni itaque praefectum vel medicorum, vel hortorum villarumque Sultani (conf. Herbelot. bibl. ex edit. Schulzefii) ea hic designari putemus?

(h) qui initium habet a d. 26. Apr. 1248. — In diversissima abit libelli de viris quibusdam apud Arabes illustribus auctor, Jo. Leo Africanus, (Fabric. biblioth. græc. T. XIII. p. 282.) Beitaridem Saladino serviisse, postque ejus fata in Hispaniam regressum, Malehae a. H. 594. obiisse asserens; sed hujus libelli in plerisque fides admodum sublepta. cf. Cafir. T. I. p. 172 — 174.

Beitaride, iusfu Maleci Salehi, (i) Cameli in Syria et Aegypto successoris, confectum et titulo: *Dschame alagdfiat waladiviat almofredat* i. e. Syntagmatis alimentorum et medicamentorum simplicium inscriptum, in Escurialensi, Bodleyana, Leydensi aliisque Europae bibliothecis obvium, ob variam eruditionem et limatum dicendi genus dignissimum esse perhibetur, quod orbi literario viri linguae arabicae pariter ac artis botanicae periti opera, magis innotescat. (k) Ex hoc Sedideddinus, quod auctor, quem sibi illustrandum sumserat, rem perfunctorie et negligentius tractasset, permulta (excerpta siquidem ex Beitaride 90. paginas implent) capiti secundo sectionis suae secundae inseruit.

*Abdarrahman Ebn Abi Sadek*, Nisabura — Chorasanensis Persa, medicus, seculo post Christum natum 9. variis scriptis, in Escurialensi, Parisina etc. bibliotheca existantibus clarus. Citatur in Codice nostro *Commentarius*

in

(i) Salehus ab a. 636. (1239.) Damasci, et ab a. Ieq. Aegypti Sultanus, defunctus est a. 647. (1249.) Apud eum eundem, quem apud Camelum, dignitatis gradum tenuit Beitarides. v. Herbelot.

(k) cf. Casir. I. c. Russell von dem Zustande der Gelehrsamkeit zu Aleppo p. 57. sq. Sprengels Versuch etc. P. II. p. 561. edit. 1. p. 447. edit. 2.

in Hippocratis aphorismos et liber: *Fi nochbat alaladsch*, i.  
e. quod curationis genus prae ceteris eligendum sit. cf.  
Herbelot. v. Abou Sadek et Casir. T. I. p. 297. sq.

*Abulfaradsch Albagdadi* i. e. Abulfaragius Bagdadensis.  
Citatur ejus liber *de medicamentis cardiacis* a Beitaride,  
ubi de *malis* agit, ex eoque haec afferuntur: „Malorum,  
„quae Syria generat, praestantisimnm est genus illud,  
„quod Damasci, quoniam a rege *Fathoddino* illuc Ispahanâ  
„allatum est, *Fathicum* nuncupari solet.“ Quis vero ex  
multis medicis, *Abulfaragii* praenomine insignibus, (v.  
Reiskii disert. p. 49. 50. 51. 53. 54.) hic indicetur, expu-  
tare non possum. Viderint alii, an Abulfaragius Abdallah  
Ben Attayeb, (1) Bagdadensis, Nestorianus, qui, praeter  
theologica et philosophica scripta, medica quoque et bota-  
nica edidit, et a. Heg. 435. Chr. 1043 — 4. obiit, hic  
locum habeat. — Sed nominis scriptio in Codice nostro  
non satis certa est: quum enim eadem de *malis* *Fathicis*  
altera vice recurrent, auctor *Cardiacorum* non *Abulfaragius*;  
sed *Abulfotuhus* dicitur. — Rex quoque, quem nominat,

(1) v. Assemani biblioth. orient. T. III. P. I. p. 544 — 48. Histor.  
dynast. p. 555.

*Fathoddinus*, mihi omnino, ignotus. Conjeci aliquando, *Fatganum*, praefectum Damasci circa a. Chr. 975. significari, quam vero conjecturam, quod constet, Turcam huncce verius *Alpteginum* appellari, (m) non invitus nunc mis-  
fam facio.

*Alamoli* i. e. Amolenfis — sc. auctor ex urbe Tabarestanae Amol (v. Herbelot. h. v.) oriundus, mihi ignotus; cuius *Commentarius in Collijat* s. Universalia (Averrhois?) in margine Codicis semel quidem citatur.

*Algafeki* i. e. Gafekida s. Gafekensis. Non pauci eru-  
diti hoc cognomine, quod vel a Gafeko filio Adi, princi-  
pe Arabum antiquissimi temporis, originem repeterent; vel  
in Hispaniae oppido non procul Corduba sito, Hesn Gafek,  
nati esent, praediti, in Casiri catalogo recensentur. Huc  
forte pertinet Mohammed Algafeki, Cordubensis, medicus,  
qui opus in sex partes distributum, de corporis humani  
anatomia oculorumque cura, titulo *Directoris (Almorshed)*  
elaboravit, et seculo Heg. 6. floruisse videtur. (n) Plura

(m) v. Bar Hebraei chron. syr. p. 205.

(n) Casir. T. I. p. 274.

de eo suppeditare crediderim Ebn Abi Oseiblam in vitis medicorum c. 13. n. 34. — Gregorius Bar Hebraeus, Jacobitarum Syrorum primas celeberrimus, Gafekidae aliquod opus magnum breviauit. Affemani biblioth. or. T. II. p. 268. 270.

*Ali Ben Alabbas Almadschufi* i. e. ignicola Persa, vulgo *Haly Abbas*, auctor libri olim valde celebrati, qui *Al-camel f. Camel assanaa fittebb* i. e. Integrum artis medicae syntagma, et *Regius*, quoniam Adadoddaulae, Regi f. Principum Principi ex Buidis, (o) viro literato et literatorum patrono, dedicatus est, inscribitur, et a Cl. Spren-gelio l. c. p. 332 — 335. recensetur. cf. Herbelot p. 246. 541. Russell p. 19. sqq. Casir. T. I. p. 259. sqq.

*Ali aleihis'salam* i. e. Ali, super quo sit pax f. omni-gena prosperitas — Mohammedis prophetae patruelis et gener, Chalifartum, si Schiitas audias, primus, si vero Sun-nitas, vix quartus, vir fortissimus et simul disertissimus. Allegatur aliquod ejus effatum, nescio unde petitum.

(o) obiit is a. Heg. 372. Chr. 982.

*Ali Ben Ahmed Ben Hobal* (s. Hebel, s. Habul.), qui Bagdadi natus et educatus, variis in locis artem medicam et exercuit et profesus est, et 95. annorum senex a. Heg. 610. Chr. 1213. Mauselae obiit, ob librum, quem, *Al-mochtar* s. Eclogae titulo, condidit, (cf. Herbelot p. 45. Catalog. biblioth. Leydens. n. 735.) citatur interdum. — Rem ridiculam non minus, quam periculosam, quae Hobalidae, dum Sultani Chalatensis Schah Armeni (sic enim scribendum hoc nominis) archiater esset, accidit, narravit Bar Hebraeus in Chron. syr. p. 455.

*Alisrail*, seu potius, quoniam hoc nomen proprium articulum *Al* respuere solet, *Alisraili* i. e. Israelita s. Judeus, allegatur a Beitaride. Est, ni fallor, *Iaacus filius Salomonis* (Jshak Ebn Soleiman), qui Kairawanae in Barbaria natus, centenario major, seculo p. Chr. nat. 10., mortuus est, quo vero anno, ob disensem auctorum, N. L. Auctor is fuit librorum medicorum, diaeteticorum etc., qui vel typis expressi vel manu scripti, adhuc arabice, hebraice, latine, quid quod, germanice, superesse dicuntur. v. Herbelot. p. 506. 964. sq. 980. Wolfi biblioth. hebr. T. I. p. 665. sqq. T. III. p. 507. (ubi legendum *Abu Jacob*) 581. sqq. T. IV. p. 882. sq. Casir. T. I. p. 276. Sprengel p. 359. Russell p. 26. sqq.



*Aljehudi* i. e. *Judeus*, citatur a Beitaride, ubi de usu  
lactis asinini agit. Esse hunc putem *R. Mosem Maimoni-*  
*dem*, (arab. Musa Ben Maimun) vulgo *Rambam*, qui fama  
nominiis, interpretatione librorum sacrorum et talmudi-  
corum non minus, quam philosophiae artisque medicae  
peritia sibi comparata, omnes Israelitas coaevos superavit.  
Natus Cordubae, instructus ab Averrhoë, priorem vitae  
partem in Hispania, posteriorem in Aegypto transegit, et  
post fata, (circ. a. Christ. 1204 — 1209.) Tiberiade in Pa-  
laestina sepultus est. Ut vero a multis religionis Mosaicae  
asseclis summis in coelum laudibus evectus et *Gloria ori-  
entis*, *Lux occidentis* appellatus, sic idem ille vir ab aliis,  
velut haereticus, quod profanam philosophiam nefando au-  
su sacrosanctae theologiae immiscuisset, omnibus diris fuit  
devotus. cf. Herbelot. p. 538. Hist. dynast. p. 454. Wolfii  
bibl. hebr. T. I. p. 834 — 869. T. III. p. 771 — 790.  
T. IV. p. 913 — 920.

*Arcaganis* i. e. Archigenes, medicus Apameensis, sec.  
post Chr. secundo. v. Sprengel p. 67. sq. (p. 100 — 8.  
ed. 2.

*Aristatelis* f. *Aristu* i. e. Aristoteles Stagirita, quem  
omnibus Graeciae philosophis, ut in vulgus notum, pre-

tulerunt Arabes, quare plurimi in eo interpretando et illustrando unice fuerunt occupati. Herbelot. h. v. Cafir. T. I. p. 304 — 311.

*Asfámeri* vel *Affamarri* — utramque enim appellationem literae arabicae السامری permittunt; si illam elegeris, *Samaritanum* aliquem medicum, si vero hanc, *Samirranum* h. e. urbis in Jraka arabica celebris Samirrae, (quae et Sarramanrai, Sorramanrai, Sarmanrai, Sermenrai, Sormanrai, Saamanrai) incolam habebis: utra alteri preferenda sit, N. L. Nonnulli ex *Samaritanis* medicinae operam dederunt, ut *Mouaffék Jacobus Damascenus* (Hist. dynast. p. 525.), *Sadaka* (Reisk. diss. p. 54.) *Abu Said Ebn Abi Surur* (Herbelot p. 250. sq.) etc.

*Affcherif* — Scherifus i. e. vir nobili genere s. ex posteris Mohammedis prognatus, laudatur a Beitaride — qui quum (quod ex Cafiri T. I. p. 276. constat). *Scherifum Edrisium*, operis magni geographici, cuius epitomen arabicis et latinis typis exscriptam reperiri notum est, auctorem, inter alios in subsidium vocet, quid impedit, quo minus eundem hic quoque laudari suspicemur?

*Affshaer* i. e. poëta, *anonymus.*

*Attemimi*, Temimaeus, medicus ex arabica tribu Temim oriundus, qui Hierosolymis natus (unde ei cognomen *Almokdesi* i. e. Hierosolymitani adhaesit) et in Aegypto commoratus, circa a. Heg. 370. Chr. 980. scripto libro *Almorsched* i. e. Directoris — inclaruit. v. Hist. dynast. p. 326. Herbelot p. 850.

*Auctor itinerarii* (arab. *arrahra*) citatur a Beitaride: num vero illorum, quos Hottingerus biblioth. orient. p. 258. et Cafiri variis sui operis locis, attulit, aliquem, an alium ab his diversum in animo habeat, mihi N. L.

*Auctor libri Alasbab walalamat walaladshal* i. e. de causis, signis et remediis morborum, saepe in nostro Cod. occurrit. Complures libri medico-practici hoc titulo notati inter Arabas prodierunt: huc refer eos, quos Herbelotus p. 132. in Parisiensi servari et a Mohammed Ben Ali (nimirum Samarkandensi, de quo infra) et Azizo elaboratos tradit. (p) Quum vero Sedidoddinus semel quidem

(p) Quem Herbelotus P. 413. Nasiro Carmanensi tribuit, rectius forte Commentarium in Samarkandensis librum dixeris. cf. eund. p. 656.

librum *Alasbab* expressis verbis *Abu Sahlo*, qui alias *Iſa Ben Jahja* (v. inferius) ascribat, huic forte omnia, has praemissa formula excitata, tribuenda fuerint.

*Auctor libri Alkarabadin.* Quod nobis *Dispensatorium medicum*, id Arabibus vocabulo itidem barbaro *Alkarabadin* dicitur. Liber hoc nomine apud Orientales laudatissimus, ab Hebatolla Ben Saëd, Ebn Attalmid (v. infr.) editus est. (q)

*Auctor libri Almodschmel* — petitur ex hoc observatio dictionem arabicam *إِلْمُذَمِّل* spectans. Praeclarum philologum, Ahmedem Ben Fares Ben Zacarija Arrazim, qui Rajae in Iraka Perfica natus et Hamadanae commoratus, praeter multa alia librum *Almodschmel* si'llogat i.e. Catholicon literaturae Arabicæ posteris reliquit, et a. Heg. 390. Chr. 1000, vel secundum alios, a. H. 395. vivis excessit, (v. Herbelot p. 339. 597. Abulfed. T. II. p. 605.) designari puto. Exstat liber in bibl. Leydensi etc.

*Auctor*

(q) Sic Abulfed. T. III. p. 601. Hinc emenda quae habet Herbelotus p. 440. col. 2. „Il y a un livre — attribué.“

*Auctor libri inscripti Onwan asfaadat i. e. Titulus beatitudinum.* mihi et auctor et liber nunquam auditus, nusquam visus.

*Auctor libri Zobda.* Vocem *Zobda*, quae proprie *florem lactis* notat, Arabes frequenter pro rei cuiusque parte praestantissima usurpant, quare eadem in multorum librorum titulis obvia, v. Herbelot p. 936. sq.

*Bokrat* s. *Ibokrat* i. e. Hippocrates Cous, quem *artis medicae principem et sanitatis regem* praedicarunt, cuiusque libros, postquam a variis interpretibus vernacule editi fuisse, diurna nocturnaque manu versarunt Arabes, a Sedi-deddino laudatur saepissime; idem praeterea, quod mireris, in Cod. eodem epiphonemate, quod ab aliis de defunctis orthodoxis tantum adhiberi solet: *rahamaho 'llaho*, cui Deus faveat! — interdum decoratur.

*Cuschiar*, conditor tabularum astronomicarum, quarum exemplar in biblioth. Leydensi n. 1167. exstat. In hujusce Catalogo auctor hic Cuschian Ebn Leban Ebn Baschhadi Aldschili, ab Herbeloto, qui eum medio sec. (Heg.) 5. vixisse refert, Cuschiar Ebn Kenan Alkhaili, a

Chilcanide Ms. demum Cuschar Ebn Leban Ebn Bafelhar-  
ni Aldschili — nominatur. Quae ex eo in nostrum Cod.  
irrepserunt, lectu et intellectu difficultia, neque ad finem  
perducta, ad calcem Sectionis secundae loco maxime alieno  
comparent, et astrologicum quid spirare videntur: in  
Parisinis nullum eorum est vestigium.

*Diashuridus* f. *Jaskuridus* i. e. Pedacius Dioscorides,  
Anazarbo - Cilix, propter scripta de botanice et materia  
medica apud Arabes pariter atque apud nos celeberrimus.  
(cf. Casir. T. I. p. 283. Herbelot. v. Dioscoridis. Sprengel  
p. 47 — 54 (p. 78 — 86. edit. fec.)

*Dschalinus* i. e. Galenus Pergamenus, Arabibus valde  
notus et celebratus (cf. Herbelot. v. Gialinous, Casir. T. I.  
p. 240. sqq.) saepissime in Codice occurrit; additur ejus  
nomini interdum titulus honorificus: *Asdat alatibbi* i. e.  
medicorum praestantisimus, et acclamatio *rahmah*. vid.  
sub *Bokrat*.

*Ebn Dschemi* f. *Dschomai* — citatur ubi de bezoare,  
scinco et ulceribus oculorum disseritur. idem fortasse,  
quem Ebn Abi Osaibia medicis aegyptiacis accenset v.

Reisk. diss. p. 53. et cuius mentio in Catalogo Leydensi  
p. 442. n. 793. fieri videtur.

*Fligarius* i. e. Philagrius, medicus sec. post Chr. nat.  
4. v. Sprengel p. 87. (125. ed. 2.)

*Hebatollah Ben Saed Ebn Hebatollah*, qui etiam nomine *Aminoddaulae*, ut et *Ebn Attalmidi* saepe citatur, Bagdadensis, Nestorianus, suae sectae presbyter et antistes, medicus palatinus Chalifarum, tantique a coaevis aestimatus, ut Galenus et Hippocrates redivivus appellatus sit. (r) Praeter singularem medicinae, poëticas, aliarumque bonarum artium peritiam, idem plurimis ingenii dotibus et virtutibus insignis fuit. Edidit varia scripta, obiitque annis gravis, quippe centenario haud multo minor, a. Heg. 560. Chr. 1164 — 5. v. Abulfed. T. III. p. 599. sq. Affemani bibl. orient. T. III. P. I. p. 554. sq. Apud Jo. Leonem Africanum l. c. cap. 4. nihil nisi nugas et futilia invenies.

(r) *Aminoddaula* notat eum, cui salus reipublicae commissa, estque appellatione, pro more illius temporis, honorifica. Nomen *Ebn Attalmidi* ab avunculo suo et in munere archiatri praedecessore, *Jahja Ebn Attalmidi*, qui eum adoptasse videtur, accepit.

Herbelotus quoque p. 440. et 849. nonnulla, quae corrigi  
merentur, calamo elabi pasfus est. (s)

*Hebatollah Ben Saïd*, praecceptor ejus, quem modo te-  
tigimus, vir in arte Hippocratica et literis humanioribus  
excellens, medicus in aula Chalifarum Bagdadensis, auctor  
que librorum, quorum unus, cui titulus *Alikna si'ttebb* h.  
e. id, quod de medicina sufficit, in nostro Codice allega-  
tur. cf. Abulfed. T. III. p. 601.. Quando fatis concesse-  
rit, nescio. Si mentem eorum, quae Ahmedes Chileanides  
in aureo de vitiis virorum illustrium opere penes me Ms.  
T. III. cap. 65. refert, recte percepit, sub Chalifa Moktafo.

(s) Delenda sunt, quae priore loco his verbis narrat: „Hebat allah eut  
trois enfans, dont l'un nommé Ebn Massifi fut Catholique, c. a d.,  
possédant la première dignité ecclésiastique après le Patriarche; un au-  
tre nommé Abulkhair fut Archidiacre, et le troisième nommé Abulhas-  
fan Saed al Hadhiri, fut médecin du Khalife Nasfer l'Abbaside, et ac-  
quit beaucoup de réputation dans son art, dont l'Archidiacre son frè-  
re faisoit aussi profession.“ Hi nempe fratres, quorum primus, chrif-  
tiano nomine Sabarjesus, Nestorianorum annis Chr. 1226 — 1256. Ca-  
tholicus i. e. Patriarcha fuit, non nostrum, sed alium cognominem  
Hebatallam, filium Moammeli, patrem habuere. v. Hist. dynast. p.  
452. sq. Assemani bibl. or. l. e. p. 556. sq. — In posteriore Herbe-  
loti loco haec: „qui servoit le Khalife Mottaki,“ non sana sunt —  
hic enim Chalifa a. Heg. 533. imperare desit. —

adhuc in vivis fuit. Qui quum a. Heg. 530, quo Hebatol-  
lah junior, nostri discipulus, jam septuagenarius erat, im-  
perare coeperit, hic quoque ad aetatem valde decrepitam  
pervenisse dicendus erit: quia vero de illa re scrupulus  
aliquis mihi eximendus restat, tempus emortuale indefini-  
tum in medio relinquendum censeo.

*Hermes* — sc. Trismegistus fabulosus, cuius scripta sup-  
positicia, nugisque partim referta, apud Syros et Arabas  
exstant. v. Herbelot h. v. Casir. T. I. p. 372. 374 — 376.

*Honein filius Isaaci* medici, Hira s. Hirta (non Harta)  
Irakensis, secta Nestorianus, quem Latini medii aevi Jo-  
hannitium quoque, Humainum aliisque corruptis nomini-  
bus appellant. Primum is Bagdadi apud Joannem filium  
Mesue, magni nominis virum, arti salutari addiscendae  
operam dedit, ejusque lectionibus in Aaronis Alexandrini  
*Pandecten* (t) attentus auditor interfuit, deinde vero, par-  
tim, quod aliquando a praceptorre iniquius fuisset habitus,  
partim, quod desiderio linguam graecam et arabicam pu-

(t) Hinc emenda, quae in translatione latina chronicī Bar Hebraei legun-  
tur p. 170. l. 16. cf. de Aarone Sprengelius p. 292. sq.

rius pleniusque imbibendi teneretur, in Asiam minorem, (u) et post biennium Basram (v) migravit. Hinc Bagdum redux, iis, quae ubique multum laborando sibi comparaset, patriae civibusque prodesse statuit, id quod, si quis alius, medicinam exercendo, juvenes instruendo, et potissimum scribendo, re vera praestitit. Fuit enim incredibili sedulitate, qui multa sermone syriaco et arabico scripsit, et plurima e Graecorum libris mathematicis, philosophicis et medicis in utrumque transtulit. (w) Atque in his quidem tantam curam tantamque elegantiam ostendit, ut Renaudotus, reliquorum omnium, qui graeca arabice exprefere, severus, sed justus exagitator, Honeinum magnis paeconii exornet, eumque praestantisimum et solum fere Hippocratis interpretem, a quo Arabes, quidquid

(u) Sic explicò, quam Bar Hebraeus l. c. memorat *ditionem Romanam*.

(v) Basrae audivisse dicitur Chalilum filium Ahmedis Farahidensem, grammaticae et metricae apud Arabes quasi parentem v. Cafir. T. I. p. 286. Chileanidem Ms. T. I. c. 199. De qua re vero, quod Chalilus a. Heg. 190. i. e. 70. annis ante Honeini mortem obiisse fertur, dubitare licebit.

(w) Neque tamen omnes, qui vulgo perhibentur, vere ejus sunt: quam enim Honeini ex foro nepos et discipulus Hobeischus, eodem quo ille studiorum genere exceilleret, ejusque nomen arabice scriptum non multum ab illius nomine discreparet, حنبهن (Hibschus) hinc effectum est, ut nonnulla Hobeischi opera Honeino falso attribuerentur.

in re medica habeant praeclarri, acceperint, pronunciet. Quare eum merito Chalifa Motawaecalus non tantum ad archiatri dignitatem evexit, sed etiam aliis veterum librorum interpretibus moderatorem et censorem praefecit. Vita excessit ipsis Kalendis Decembr. a Chr. 873. Heg. 260. (x)

*Iathja Ben Isa* (Joannes filius Josuae) *Ebn Dschazlah*, Bagdadensis medicus, Nestorianus, qui, quum ab Abu Ali Ben Walid, Mohammedano, dialectica erudiretur, ab eodem, ut religionem christianam desereret eamque scripto impugnaret, persuasus est. Quod divitiis afflueret, non amicos tantum et sibi notos, sed universos quoque vici, quem habitabat, incolas consiliis, quin et remediis, sublevasse, omneque pro laboribus et impensis oblatum praemium sprevisse narratur. Obiit a. Heg. 493. Chr. 1100. In Cod. nostro liber ejusdem *Alminhadsch* i. e. Methodus citatur; qui de vario alimentorum et medicamentorum genere ordine alphabetico tractat atque in bibliothecis Parifina, Oxoniensi, Romana, Escorialensi etc. reperitur. v. Abulfed. T. III. p. 325. sq. Herbelot p. 400. Bar Hebr.

(x) „Kal. Canoni prioris anni Seleucidarum 1185.“ v. Casir. I. c. In Bar Hebraei chron. syr. numeri, qui sequuntur, ~~١٢٥٠~~ i. e. 1183, et ~~٦٤~~ i. e. 64., in ~~١٢٥٠~~ 1185. et ~~٦٣~~ 260. mutandi.

chron. syr. p. 283. Hist. dynast. p. 365. sq. Sprengel p. 265.  
364. (p. 429. edit. 2.)

*Jakja* (Joannes) *filius Mesue*, rarius citatur. Uter vero, an senior, qui seculo Heg. 2., an junior, qui 4,  
floruit — cf. Sprengel. p. 262. 295. 361. (357. sq. 426.  
sq. edit. post.) auctoresque ibi laudatos, — mihi N. L.

*Jakub filius Jshak* (Jacobus f. Ishaici) *Alkendi* (Alkindus, Alchindus) Basrensis, quem alii *Judeum*, alii Christianum, alii denique, quibus, quia ex illustrissima Arabum tribu Kendae ortus est, ejusque pater, Chalifae jussu urbi Cufae praefuit, accedendum erit, Mohammedanum dixere, vir, qui sec. Heg. 3. plurimis scriptis philosophicis, mathematicis, medicis clarus, et ob philosophandi libertatem varia censorum judicia expertus fuit. vid. Bruckeri hist. philosoph. T. III. p. 62 — 69. Sprengel p. 306 — 10.  
(p. 369 — 73. edit. post.) Rusell p. 15. sq. Herbelot edit. nov. v. Kendi. Cafir. T. I. p. 553 — 557. (ubi Catalogus ultra 200 libellos complexus, ex arab. philosophorum hist. excerptus legitur).

*Isha Ben Ali*, dictus *Alcahal* i. e. medicus ocularius,  
sec. Christ. 10. mortuus. Citatur liber *Tadscarat alcahalin*,

*Ual'in*, qui de partibus, morbis et cura oculorum agit, et in biblioth. Parif. arabice exstat. Idem liber latine Venetiis a 1499. typis editus est. v. Herbelot v. *Jffa* et *Tadherat*.

*Ual'in* sup. ab. *Almesihī* *al-masihī* *masihī*

*Iса Ben Jahja*, (Iesu s. Josue Joannides) qui et *Abu Sahl* et *Almesihī* s. Christianus, secta Nestorianus, patria Chorasanensis, medicinae peritia et scriptis clarus, clarior vero ob discipulum, quem formavit, magnum Avicennam.  
 (y) Vixit seculo Christ. 10., obiitque annos nondum 40. natus diem supremum. Notissimus Isae liber *Almiah* seu plenius *Ketab almiah fittebb*, hoc titulo (Centuriae sc.) ideo, quod in centum capita divisus est, inscribitur,  
 (z) et in Parif. habetur. In Cod. nostro citatur liber *de morborum causis*. v. Bar Hebraei chron. syr. p. 205. (aa)

(y) Avicenna primos, quos ipse scriperat libros, nomine Abu Sahl latens, edidisse dicitur.

(z) Hinc emenda, quae refert Sprengelias p. 403. edit. 2. „Dieser hatte 100. Bücher geschrieben.“

(aa) Quae in Bar Hebr. sic habent: „Eius tempore — — — natus, “ parenthesi includenda et pro *أبي صالح* fratrem *أبي صالح* filium legendum esse puto: „Anno 572. obiit Adadoddaula etc. (Eius tempore vixit Ali etc. floruit quoque in Chorasana Abu Sahl Mefihi etc., qui 40. annos natus vitam finivit.) filiumque Samfamoddaulam habuit successorem.“ conf. Abulfed. T. II. p. 555.

Affemani bibl. or. T. III. P. I. p. 540. sq. Hist. dynast. p. 355. Herbelot vv. *Abou Sahal et Almasili.*

*Isha Ebn Mesue*, frater Joannis senioris, de quo paullo superius. Plura forte dabit Ebn Abu Osaibea c. 3. n. 24.

*Ishak Ebn Amran* (Ishaecus fil. Amram) citatus a Bertride (cf. Casir. T. I. p. 276.) medicus Bagdadensis, qui a Joanne fil. Mesue et Serapionide, scriptoribus sec. Chr. 9. etiam laudatur. Idem fortasse, quem Jo. Leo Ishaicum fil. Erram vocat et a. Heg. 183. Chr. 799. Cairawanae obiisse dicit. Fabric. biblioth. graec. T. XIII. p. 294. sq.

*Custa Ben Luka* (Constans, Lucae filius) Baalbecanus. Liceat hoc transcribere, quae ex arab. philosophorum bibliotheca in Casiri T. I. p. 419. excerpta leguntur: „Costha filius Lucae, philosophus Christianus, Heliopoli [Baalbecae] in Syria natus, Graecorum regiones adiit: unde, plurimis congestis codicibus, in Syriam reverfus est, atque inde Iracam, ad libros graecos arabice convertendos, evocatus. Fuit Jacobi Ben Ishaac Alchindi aequalis. Arithmeticae, geometriae, astronomiae, musicae ac philosophiae, artis item medicae peritia excelluit: quibus disciplinis graeci sermonis elegantiam ac sententiarum praestantiam adjecit.

Supremum tandem diem in Armenia obiit. (bb) Praeclaros et preso stylo conscriptos edidit libros, quorum ex numero sunt: Liber isagogicus in geometriam luculentissimus, dialogi more contextus; Liber isagogicus in astronomiam; Liber de animae et spiritus discrimine; de quatuor qualitatibus libri IV. Liber de speculis uisivis; liber de ponderibus et mensuris; de politico regimine libri III; liber de morte inopina; liber de alimentis; de morborum crisi lib. I. de Aethiopum nigredine ejusque causa lib. I. De inflatione ejusque causa lib. I. De musica lib. I. Isagoge in dialecticam lib. I. Descriptio sphærae coelestis, lib. I. Expositio dogmatum graecorum philosophorum, lib. I. De alimentorum ratione lib. I. Difficultates apud Euclidem obviae proponuntur, lib. I. De balneis lib. I. De chronologia lib. I. hortus deliciarum inscriptus. Arithmetica problemata, lib. I. De Graecorum philosophorum inventis et sectis, lib. I. Liber apologeticus adversus librum astrologi Aba Isae de Mahometi apostolatu et prophetia. Praeter hosce libros nobis memoratos alia quoque doctrinae monumenta reliquit. — Itaque Costhae sepulcro testudinem, qui honor regibus tantum debetur, superstruc-

(bb) In Armeniam ab ejusdem regulo Sanheribo arcesitus fuerat. Hist.  
dynast. p. 274.



tam fuisse tradit scriptor Isaac Ben Moham̄med Alnadiim,  
 (cc) idemque continuo haec subjungit: *Si vera fateri verum, lubens dixero, Costhiam auctorum omnium, qui de scriptoriis praeclarè scripsere, si styli brevitatem, sententiarum copiam spectes, esse praestantissimum.* “ — Exstant, ut hoc addam, in Leydensi etc. Constantis interpretationes arabicae, v. c. Theodosii sphaericorum, Autolyci de ortu et occasu siderum, et barulci Heronis, cuius textus graece non supereft. v. Herbelotī bibl. ex edit. Schultensii v. Costha.

*Mahmud Ebn Masud Asschirazi*, qui et *Kotboddin*, polyhistor, (matheseos quippe, philosophiae, medicinae, theologiae et juris prudentiae peritus) et polygraphus, qui Schirazi in Perside a. Heg. 634. Chr. 1236. natus et Tabrizi in Adirbeidschana a. 710. (1311.) denatus est. v. Abulfed. T. V. p. 243. Herbelot. v. Schirazi. Citantur commentarii in Collijat i. e. Universalia s. Canonem Avicennae.

*Mohammed Ebn Abdallah*, Rasul allah, i. e. propheta, de quo hic dicere non attinet. Laudantur in Codice Koranus et Sunna s. traditiones.

(cc) Hinc intelligas, quem chronographium Abulfaragius in Hist. dynast. k. c. innuat.



*Mohammed Ebn Abilkasem Ebn Abdalcarim Ebn Ahmed Affchahrestani*, qui Schahrestanae in Chorasana, a. Heg. 467. Chr. 1064 — 5. in lucem editus et a. 548. (1153.) mortuus est, dialecticus, theologus, Jctus, auctor librorum multorum, ut ejus, quem inscripsit: *Ketab almelal walnehal walmanahedsch walbejanat* i. e. de variis fectis, religioribus, cultibus eorumque argumentis & demonstrationibus. (v. Abulfed. T. III. p. 535. et 749 — ubi Reiskius peccatum aliquod ab Herbeloto admisum emendavit, ipse tamen ibidem non omnis peccati expers.) Liber, qui in Escorial. prostat, citatur a Sedideddino.

*Mohammed Ebn Ahmed Ebn Roschd Alkortobi* (Cor-dubensis), vulgo *Averrhoës* et *Avenroës*. — De hoc viro, qui, et vivens, omne fere literarum genus, quod apud Arabes floruit, scriptis illustravit, (dd) et multis quoque post obitum annis a Mohammedanis, Judaeis, Christianis ob ingenii et eruditionis subtilitatem maximi habitus fuit, copiose egerunt historiae philosophicae et medicae scripto-

(dd) In biblioth. Escorial. adest index 75. libros ab Averrhoë editos continens. Cafir. T. I. p. 299.

res, (ee) ita tamen, ut nonnulla, quae ejus vitam resque gestas spectant, non satis expediverint. Rectiora dabit medicorum biographus Ebn Abi Oseibea, ex quo aliqua in novis ad Herbelotum accessionibus leguntur. Obiit, eodem teste, Averrhoës initio a. Heg. 595. circa finem a. Chr. 1198. — Occurrit in nostro Cod. quam saepissime *liber Alcollijat* i. e. de universalibus in re medica, eodem nomine, quo Averrhois liber notissimus, quem Latino-barbari *Colliget* dixerunt, insignis: quare hunc illis in locis memorari putavi. Sed quoniam primus liber Canonis Avicenniani, utpote de universalibus medicorum tractans, hoc etiam nomine venire queat, et praeterea *Collijat* Ebn Sina expressis verbis in Cod. adducitur, dubius haereo, utrum Sedideddinus in *Averrhoëm*, an potius in *Avicennam*, digatum intenderit.

*Mohammed Ebn Ali Ben Omar, Assamarkandi*, qui et *Nadschiboddinus*, medicus, civis Samarkandae, urbis in Transoxana clarissimae, auctor *libri de causis, signis et cura morborum*, qui in biblioth. Parif. (Herbelot. p. 132. 753.)

(ee) Bruckerus T. III. p. 97. sqq. Sprengel I. c. p. 376 — 381. (p. 442  
— 447. ed. post.)

et, nisi fallor, in Leydensi quoque (Catalog. n. 740.) exstat. „Est scriptor incertae aetatis“ — sic Hallerus biblioth. medico - pract. T. I. p. 417. (ff)

In margine Cod. citatur aliquando *Alīmām Fachroddīn Arrāzī* i. e. *Mohammed Omārī filius*, natus a. 543 (Chr. 1148 — 9) Raiae in Iraka, defunctus a. 606 (1209 — 10) Heratae in Chorasana, inclytus sui temporis JČtus, theologus, philosophus, orator, poēta, medicus, editorque multorum librorum, quibus, inter alia, Avicennae vitia revelasfe dicitur. v. Hallerum I. c. p. 383. Abulfed. T. IV. p. 239.

*Mohammed Ben Zacarīja Arrāzī* i. e. Raiae civis, Latinis *Rhazes*. Quanquam is serius, anno scil. aetatis quadragesimo, animum ad studia medica et philosophica applicuerat, summa tamen asiduaque quam utrisque impendit, cura, brevi eo enīsus est, ut plerisque aliis palmarū praeriperet. Obiit a. Heg. 311. Chr. 923, juxta alios a. 920. (932.)

(ff) Abstinni ab allegandis bibliothecis medicis, a viro summi nominis conditis, quantum lieuit. Tantam enim ibi in hominum librorumve titulis corruptionem confusionemque deprehendas, ut nolenti volenti tibi vel bilem vel cachinnum moveri saepissime sentias.



v. Cl. Sprengelium p. 312 — 331. (p. 376 — 396. ed. post.)  
 — qui vero Almansorem Samanidem, cui *liber Mansoricus*  
 a Rhaze dedicatus fuit, minus recte Chalifae Moktafi Ab-  
 basidae ex fratre nepotem dixit, quod cuivis, qui ratio-  
 nem genealogiae gentis utriusque perspectam habet, facile  
 patebit. — Citatur in Cod. opus Rhazis *Alhawi*, quod lati-  
 no- barbari *Comprehensorem* s. *Continentem* appellant. (gg)

*Rufos* i. e. Rufus Ephefius, medicus sec, a Christ. nat.  
 2. v. Sprengel p. 35. sq. (p. 63. sq. edit. post.)

*Serafiun* et *Serafunis filius* citantur bis, et secundo qui-  
 dem loco a Beitaride, ubi de violis agit: putaverim itaque  
*Serapionidem juniorem*, Syrum christianum, qui, incertum  
 quo tempore, librum de materia medica composuit, innui.  
 v. Sprengel p. 360 (425. edit. post.)

*Thabet Ebn Korra Ebn Merwan Harranensis* (Car-  
 rhenensis), Sabius secta, qui Latinis *Thebit*, philosophus,  
 mathematicus et medicus praeclarus, qui multa e graecis  
 trans-

(gg) Quae de hoc libro narrat Bar Hebraeus in Chron. Iyr. P. 172. nec  
 mihi satis intelliguntur, nec ea, quae Cl. Sprengelius l. c. p. 314 (379)  
 habet, satisfaciunt.

transtulit, multa quoque syriace et arabice scripsit. Vixit annis Heg. 221 — 288. Chr. 835 — 900. v. Assemani biblioth. or. T. II. p. 316. sq. Herbelot p. 1015. Casir. T. I. p. 386 — 392.

*Wafedi filius.* Narrat ex eo Beitarides, elephantiam decocto radicum terebinthi et uvarum pasarum curatam esse. — Cl. Casiri T. I. bis *filium Wafedi* commemorat: primo quidem p. 272. laudat opus in Escurialensi servatum: *Manuductio ad artem medicam*, Alirschad fittebb, auctore *Ebn Vaphedi Valentino*, qui cum de theorica et practica medicina, tum de pharmaceutica sigillatim agit etc. at p. 404. sq. haec ex arab. philosophorum historia excerpta: „*Abdelrahman Ben Abdalcarim Ben Jahja Ben Vaphed Alakhamita* [Lachmida] inter Hispaniae proceres clarissimus, perlegendis tum Aristotelis, tum aliorum philosophorum et mathematicorum libris adeo se totum tradidit, ut plura de ejusmodi disciplinis volumina conscriperit. In primis ad rei herbariae studium eam contulit operam, ut Dioscoridis et Galeni libros de medicamentis simplicibus, nedum plane intellexerit, sed etiam meliori ordine digestos 500. ferme foliorum codice sit complexus. In arte medica et praeclararam secutus est methodum, et probatisima

tenuit placita; ad curandos quippe morbos lectiora potius aptioraque alimenta, quam remedia solebat adhibere. Quum vero necessitas eum ad medicamentorum usum impelleret, simplicia compositis praeferebat; ubi autem compositorum usum necesarium existimabat, ex iis quae minime composita semper approbavit. Graves difficilesque morbos facilitioribus ac probatioribus medicamentis evincebat: quorum certe non pauca eaque memoratu digna posteris reliquit. Cordubae claruit seculo Heg. 5. prope medio. Natus autem est, ut fertur, mense Dilhagia a. 389. (Christ. 999.)

— Cum his conferenda et concilianda, quae ex Reiskii schedis novae Herbeloti editioni accesserunt: „Sous le nom de famille *Ibn Vafid*, est connu dans l'histoire littéraire le Vizir ou ministre d'état Aboul Motharraf Abdorrahman Ben Mohammed Ben Abdilcabir. On le nomme quelquefois *Aben Gnefid* etc. — Ce noble Espagnol, qui étoit conseiller à la cour des Princes de la maison Dhoun Noun dans la ville de Tolède, nâquit l'an de l'Heg. 387. de J. C. 997.; mais *Abou Obaidah*, (hh) de qui nous avons emprunté ce que nous venons de dire, ignoroit l'année de sa mort. il dit seulement, qu' *Jbn Vafid* étoit en-

(hh) An *Abu Ofeibia*?

core en vie l'an 460. (1067) Il le loue beaucoup de l'habileté qu'il avoit de guérir en peu de tems des maladies incurables et cachées. Il dit que le même médecin a donné 20. ans de travail à son ouvrage, qui traite des medicaments simples; et il lui attribue ausfi les ouvrages suivans: *Ketab al Jrschadi et Mogiarrabat* etc. etc. — — Ceterum de Aben Guefithi f. A. Gnefithi f. Albengnesiti libello de simplicium medicamentorum virtutibus, qui latine prostata v. Sprengelium p. 310 — 312. (p. 374 — 376. ed. post.) Russell p. 59. —

*Zohr.* Familia *Zohridarum* f. Avenzoarorum ad gentem Aiadiam pertinens, quamlibet inter Árabas Hispanientes et Africanos, veluti virorum praeclarorum, medicorum etc. secunda procreatrix, celebratissima, nostris tamen non prodignitate et amplitudine, qua plerisque praestitit, cognita est. Quoniam vero ea, quae praesto sunt, subsidia, non ut omnia rite expediantur, sufficient, consultius erit, hanc rem in aliud tempus reservare. Citatur autem a Sedideddino *Abu'lola Zohr Ebn Zohr*, eique *Liber Atteifir* (de quo Sprengel. p. 371 — 373.) et *Alwasia* h. e. Paraenesis ad filium de officio et munere medici — tribuitur.

Atque, sic perlustrato Sedideddini apparatu literario, nunc exhibenda forent excerpta e Codice Fuldenſi ſuperius promiſa, niſi fīnes hujusmodi opusculis positos jam longius excesſiſem. Progrediamur igitur ad id, quod illi conſcribendo occaſionem dedit.

\*

Quum vir perilluſtris, ampliſtimus atque conſultiſtimus, *Ludovicus Harscher de Almendingen*, primarius apud nos iuriſ antecelſor et academiæ hujus Prorector, poſtquam ob eximiā eruditioñis famam a compluribus academiis uno fere eodemque tempore expetitus fuifet, tandem eo inclinasset animum, ut conſiliarii in ſupremo, quod vocant, appellatioñum iudicio a SERENIſSIMIS NASSOVIAE PRINCIPIBUS nu- per Hadamariae conſtituto, locum ſibi oblatum praeoptaret, iſque adeo magiſtratum academicum egregie geſtum biennio legitimo nondum exacto deponere neceſſe habuiſ- fet, — cepit eundem, quem a Senatu ex ordine Medico- rum, ut tanto viro ſuccederet, rite electum, et suffragati- one Procerum patriæ commendatum auctoritas SERENIſSI- MI ET CELSISSIMI ARAUCTIONIS ET NASSOVIAE PRINCIPIS, GUILIELMI V. RECTORIS NOSTRI MAGNIFICENTIſSIMI, conſirmavit,

*Vir excellentissimus atque experientissimus*

# SEBAST. JO. LVD. DOERING,

Medicinae Doctor et Prof. P. O.

cujus vitae rationes et scripta ex ipsius, quae sequitur,  
narratione satis patebunt.



„**E**go SEBASTIANUS JOANNES LUDOVICUS DOERING,  
die xxiv. Maji MDCCCLXXIII. Cassellis Cattorum natus sum.  
Parentes veneror *Johannem Henricum*, qui variis ipsi a  
Landgraviis Hasso - Cassellanis, FRIDERICO II<sup>do</sup>, beatae  
memoriae, et GUILIELMO IX<sup>no</sup>, nunc primo Hassiae  
Electore, demandatis muneribus defunctus tandem ab eo-  
dem Consiliarius Camerae et Consistorii reformati Hanovi-  
ensis, nec non fontium salutarium, Wilhelmsbad et Schlan-  
genbad dictorum, Director constitutus est; et *Mariam Eli-*

*Jabesham ex gente Crux, in regione Galliae Septentrionali,  
olim Picardia dicta, natam; quos optimos parentes, (quibus,  
omni amore et pietate amplectendis colendisque, plurima  
maximaque debo, quod per octodecim et quod excurrit  
annos nil neglexerunt, ut filium, ex tribus tantum super-  
stitem, solertissime nullaque impensarum habita ratione  
educarent) Deus optimus maximus in laetitiam volupta-  
temque suorum diu adhuc in vivis esse jubeat.“*

„Primo in puerili aetate non solum varii institutores  
privati prima linguarum gallica et latinae, nec non Historiae  
et Geographiae rudimenta mihi inculcarunt, sed etiam  
variis praceptoribus in calligraphia, musica, arte delineato-  
ria et pictoria, architectura, aliisque ad Gymnaesticam  
pertinentibus artibus frui mihi licuit. Dein in Lyceo pa-  
trio a decimo vitae anno litteris humanioribus operam de-  
di; cuius instituti tunc temporis fuerunt magistri, viri cl. cl.  
*Kohlhausen, Hosbach, Caesar, potissimum vero beatus*  
Rector ejusdem cl. Profesor Richter, cuius memoriam nul-  
lum apud me obliterabit tempus. In horis, quibus alii ju-  
venes ludere solebant, privatisimis scholis cl. cl. Profes-  
orum Collegii Carolini, Casparon et Klingender, quorum  
alterum historiam universalem, alterum Historiam Gallicam  
et jus gentium docentem, audivi, continebar.“

„Anno aetatis XIV, patre Hanoviam translato, discipulis primae clasfis Paedagogii hujus urbis adscriptus sum. Ibi cl. b. *Schroederum*, Profesorem Philosophiae et Paedagogii Directorem in latinis, graecis, hebraicis, nec non in Logicis et Mathematicis praeceptorem habui: simulque cl. *Hadermannus*, tunc Conrector, nunc Rector Gymnafii, Livium et Homerum in privatis lectionibus mihi interpretatus est.“

„Anno MDCCCLXXXVIII, aetatis XV. Marburgum me contuli. Adhuc per anni spatium in prima classe Gymnafii, quod ibi floret, praeceptoribus, cl. b. Profesore *Duysing* et Profesore *Crede* in litteris, quae juvenem erudiunt, usus sum, et fundamenta in lingua italica et anglica posui sub praeceptore cl. *Daub*, tunc Majore Stipendiatorum, nunc Profesore Theologiae in inclyta Herbipolitana.“

„Anno MDCCCLXXXIX die XXVIII Septembris cl. *Bering*, Profesor Philosophiae, tunc fasces academicos Marburgi tenens, me in numerum Studiosorum Medicinae recepit. Gratia nunquam satis veneranda speciali Principiis, nunc Electoris celsissimi GUILIELMI I<sup>mi</sup> non solum eorum numero, qui Stipendiis principalibus aluntur, adscriptus sum,

sed etiam per tres annos stipendio, quod dicunt Moellenbeckianum, ut fruerer, tam felici mihi esse contigit. — Per triennium in hac academia patria omnes artis medicae scholas assidue et attente frequentavi. “

„ Cl. beatos Stegmann et Waldin in Logicis, Mathematicis et Physicis praeceptores habui. V. V. cl. cl. b. Baldingerum, (quocum ad mortem praematuram viri eruditissimi amicissime conjunctus fui) in Pathologia, Semiotica, arte formulas medicas conscribendi, Therapia generali et Historia Medicinae litteraria; Michaelem (cujus clinicum per annum et dimidium frequentavi), in Anatomia, Therapia speciali, Chirurgia et Medicina forensi, b. Steinium in arte obstetricia, Moenchiūm in Botanica, Chemia et Materia medica, et Brühlīum in Anatomia, Physiologia et Arte obstetricia duces ac magistros habui. “

„ Studiis academicis, pro viribus, absolutis, praevio, die XXVIII. Ianuarii MDCCXCII instituto examine, die IVta Februarii e. a. defensa antea Dissertatione inaugurali, *de Vomitū*, a cl. Moench Promotore ad hunc actum constituto laurea doctorali condecoratus sum. “

„ Incertus



„Incertus ac dubius, quam prae ceteris Patriae urbem feligerem, ad Praxin medicam exercendam, subito fatorum jusfu patriae solum, annuente Principe Electore reliqui, Herbornamque in Nasloviis me contuli; in qua urbe, superato antea examine rigoroso, praxin medicam exercendi a Regimine Dillenburgensi d. IIII. Jul. MDCCXCII. accepi licentiam.“

„Ab eo tempore lectulos aegrotorum non solum omni diligentia frequentavi, sed etiam vita academica mihi arrisit. Petii itaque provinciam sub finem anni MDCCXCII. Lectoris publici academici, quae facultas die VII. Maji MDCCXCIII. mihi a Regimine nostro, die XXX. Augusti MDCCXCIV. vero munificentia et gratia Celsissimi Principis Araufio - Naslovici, Patris Patriae longe venerandissimi Profesio Medicinae extraordinaria et d. X. Maji MDCCXCVIII. Profesio ordinaria in facultate medica, clementissime mihi demandata est.“

„Societas correspondens, quae Casellis floret, ac pro excolendo studio Pharmaciae et historiae naturalis medicae constituta est, me Anno MDCCCI. sodalem ordinarium et antisitem superiorem nominavit.“

„Quod ad vitam domesticam attinet, jam Anno  
**MDCXCII.** die xxx. Augusti matrimonium inii cum virgine  
*Maria Anna*, filia natu maxima *Johannis Godofredi Hegmanni*, Theologiae antea in hac academia Profesoris clariſimi, et *Johannae Mariae* filiae unicae b. viri cl. itidem Profesoris Theologiae in hac musarum sede, nec non Conſiliarii ecclesiastici et Inspectoris Ecclesiarum Dillenburgenſium, *Valentini Arnoldi*; cui conſugi et ſociae amantisimae et fidelifimae Deus ter optimus maximus longifimam vitam do- net. Ex quo felicifimo matrimonio hucusque ſex fuſcepit liberos, filios nimirum tres, totidemque filias.“

Scilicet:

„*Johannem Henricum Godofredum*, natum d. **xxiii. Junii**  
**MDCXCIII.**

„*Albertum Jacobum Gustavum*, natum d. **vii. Novembris**  
**MDCXCV.**

„*Johannam Elisabetham Charlottam Christinam Frideri- canum*, natam d. **xiii. Septembris** **MDCXCVIII.**

„*Carolinam Johannam Elisabetham Guilielminam*, natam d.  
**xxix. Junii MDCCC.**

„*Sophiam Guilielminam Johannam Ludovicam*, natam d.  
**vii. Octobris MDCCCII.**

„*Guilielnum Henricum Ludovicum Godofredum*, natum  
d. **xii. Julii MDCCCIV.**

Bibliothek der  
Deutschen  
Morgenländischen  
Gesellschaft

„E quibus, quem ultimo loco memoravi, vix jam expletis quatuor hebdomatibus diem obiit supremum; reliquis quo lenius factam in illo jacturam feram, Providentia divina vitam longaevam ac fausta omnia concedere velit!“

„Priusquam huic narratiunculae, quam mos antiquus expresfit, finem faciam, libellorum a me editorum titulos hic subjungo.“

„Sunt vero hi:

- 1) Hippocratis doctrina semiotica de Vomitu. Disf. in. med. pro gradu Doctoris defensa. Marburgi, typ. nov. acad. d. 4. Feb. 1792. 32 pag. in 8vo.

Exstat etiam in Collectione Dissertationum medicarum Marburgensium Fascicul. II. Nro. I.

- 2) Joh. Pet. Frank vom Volkselend, einer fruchtbaren Mutter von Krankheiten. Eine akademische Rede. Aus dem Lateinischen übersetzt. Marburg, in d. n. ak. Buchdr. 1794. 37 pag. 8vo.

Exstat etiam in Archiv für den praktischen Arzt. Marburg, in d. n. ak. Buchd. 1794. its. Stück.

- 3) Joh. Friedr. Theoph. Haeger, Geschichte der Kerzen und ihres Gebrauchs in der Wundarzneykunde. Aus dem Lateinischen übersetzt. Giesen, b. Heyer. 1796. 93 pag. 8vo.

- 4) Dr. Ludw. Oskamp's zwey Vorlesungen über die natürlichen und geimpften Kinderblättern nebst einer Anweisung sich vor denselben zu bewahren und dazu vorzuhorenen. Für Leser aus den gebildeten Ständen aus dem Holländischen übersetzt. Herhorn und Hadamar in d. n. gel. Buchh. 1799. XII und 96 pag. 8vo.

- 5) Abraham van Stipriaan Luiscius, Abhandlung zur Beantwortung der Frage: Welches sind die Ursachen der Fäulniß in vegetabilischen und thierischen Substanzen? und welches sind die Erscheinungen und Wirkungen, die durch sie in ihnen erzeugt werden? — Eine von der batavischen Gesellschaft der Experimentalphilosophie zu Rotterdam doppelt gekrönte Preisfchrift. Aus dem Holländischen übersetzt. Marburg, in d. n. ak. Buchh. 1800. xx et 192 pag. 8vo. c. fig.
- 6) Historische und medicinische Untersuchungen über die Kuhpockenkrankheit von H. M. Husson. Aus dem Französischen übersetzt. Marburg, in d. n. ak. Buchh. 1801. 168 pag. 8vo.
- 7) Kurzer Untericht für die lieben Bürger und Landleute der Fürstlich Oranien-Nassauischen Lande über die Schutzpocken, nebst einer kurzen Anweisung, wie ein jeder sich und seine Kinder durch Einpropfung derselben vor der natürlichen Blatternkrankheit sicher schützen könne. Mit Genehmigung und auf Kosten gnädigster Herrschaft gedruckt und vertheilt. Herborn, 1801. 31 pag. 8vo.

Exstat etiam in Dillenburgischen Intelligenz-Nachrichten pro Anno 1801. N. xxiv et xxx.

- 8) Journal für die neueste holländische medicinische und naturhistorische Litteratur. Herausgegeben mit Gottlieb Salomon Dr. d. A. W. und austübendem Geburtshelfer zu Leyden. Herborn und Hadamar in d. n. gel. Buchh. Erster Band. Erstes Stück, Zweytes Stück, 1802; Drittes Stück, 1803; Viertes Stück, 1804. viii und 576 Seit. 8vo.
- 9) Jarich. Joh. Westra's. Abhandlung vom Spiesglanze. Aus dem Lateinischen übersetzt und mit Anmerkungen begleitet. Hadamar in d. n. g. B. 1802. iv. 310 et 12 pag. 8vo.
- 10) Critisches Repertorium der auf in- und ausländischen hohen Lehranstalten vom Jahre 1781 bis 1800 herausgekommenen Proba- und Einladungsschriften aus dem Gebiete der Arzneygelahrtheit und

Naturkunde. Erste Abtheilung; enthaltend das Verzeichniß der Schriften von 1781 — 1790. Herborn, im Verlage der Hohenfchul-Buchhandlung. 1803, xvi. et 412 pag. in gr. 4to.

Sectio secunda hujus libri, quae Catalogum criticum horum scriptorum in annis 1791 — 1800. editorum, continebit, mox praelo subjicietur.

- 11) Kurze Antwort auf eine in Nro. 30 p. 423 der Dillenburgischen Intelligenz - Nachrichten vom Jahre 1799 geschehenen Anfrage die Impfung der Blattern ausser einer Epidemie betreffend. in den Dillenburg. Intell. Nachr. Jahrg. 1799. Nro. xxxi. p. 453 — 35 und Nro. xxxii. p. 449 — 54.
- 12) Die Schutzpocken im Nasau-Oranischen, an Faust und Hunold; im Reichs- Anzeiger 1801. Nro. 208 p. 2705 — 2718.
- 13) Ein paar Worte über Disertations- Sammlungen in dem Allgemeinen litterarischen Anzeiger. von 1798. Nro. cxiii. p. 1137 — 41.
- 14) Uebersicht der neuesten holländischen medicinischen Literatur vom Jahre 1797. in der Medicinischen National Zeitung für Deutschland v. J. 1798. Nro. 51. p. 801 — 808.
- 15) Medizinisches Personale in den Fürstlich Oranien- Nasauischen Landen, mitgetheilt in der Mediz. Nation. Zeit. Supplementenband. a. d. J. 1798. N. 11. p. 173 — 176.
- 16) Vollständige Uebersicht des medizinischen Personale's in den Hochfürstlich Hessen Kaselschen Landen. in der Med. Nat. Zeit. a. d. J. 1799. N. 28. p. 442 — 43.
- 17) Uebersicht der Schwedischen medicinischen Litteratur, des Jahres 1797. in der Med. Nation. Zeit. anf. d. Jahr 1799. N. 53. p. 833 — 41.
- 18) Neue Erfahrungen holländischer Aerzte über den Gebrauch des Baumöls und Esgigs, und den Nutzen des langen Offenhaltens der Wunden zur Verhütung der Wasserfscheue nach dem tollen Hundsbisse; in der Med. Nation. Zeit. a. d. J. 1799. N. 53. p. 844 — 47.

19) Uebersicht der neuesten holländischen medicinischen Litteratur vom Jahre 1798. in der Med. National Zeit. auf d. J. 1799. N. 54. p. 849 — 60.

20) Bleuland's neue Auffschlüsse und Erfahrungen über die Natur der Entzündung der Gedärme und die Erzeugung der in den Unterleib ergossenen eiterähnlichen Feuchtigkeit; mitgetheilt in d. Med. Nation. Zeit. a. d. J. 1799 N. 55. p. 871 — 78. "

" Praeterea censuras plus quam ducentorum librorum novorum ab anno 1796. in

Salzburger medicinisch - chirurgischen Zeitung; Erlanger Litteratur Zeitung; Würzburger neuen gelehrten Anzeigen; et aliis litterariis ephemeridibus varia ad rem litterariam et medicam spectantia inferi curavi. "

\*

\*

In iūt novum munus Vir Cel. d. **xxvii.** Junii h. a., idque summa cura et vigilancia adhuc administravit, orationem autem inauguralem Idem in tempus opportunius, quod in capite hujus libelli indicationem est, distulit. Dicet in ea de re, ad salutem publicam, maximi momenti, nempe

### *De cura politiae medicae, medicis solis demandanda.*

Ad quam audiendam, ut frequentes convenient, omnes bonarum literarum fautores ornatisimi, et cives academiae commilitonesque carissimi hisce quam humanissime et enixissime rogantur et admonentur. Scr. Herbornae **III.** Kal. Oct. a. Chr. **circa** CCCIV.

(L. S.)







D: De 164



